CHRISTIANIS
ut
MOS EST PIUS,
STATO EXEQVIARUM TEMPORE
OPTIMÆ SPEI JUVENIS

ADAMI PHILIPPI BURSCHII,

In Thoruniensium Gymnade Liberalium Artium
Studiosi industrii,
PRÆMATURUM EJUS
nostro Mortalium oculis & judicio
OBITUM,
crassa licet
sub
pictura & imagine
in vigore suo
exarescentis cito
LILII
Sancto ex amoris fœdere
BEATI
cohonestaturi tumulum
Matrisqve Viduæ
fletus & lacrymas
staturi modicum
exponunt
SUPREMÆ ET PRIMÆ CLASSIS
AUDITORES.

THORUNII,
Excudebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii
Typographus.

AUDITORES CLASSIS SUPREMÆ.

Qvi monumentorum perenni ex gloria
Prisci faciem ævi metiris oculis,
Famam functorum grata recolis memoria,
Marmori huic proximus,
Cave, abeas, Viator,
Sed præsens inspice
Fragilitatis humanæ
Catoptrum,
Similem visurus conditionem,
Lilii & Hominis.
Lilium,
unde ortum, augmentum, alimentum suum haurit?
Certe,
Matris terræ è gremio;
Hæc eum gignit, auget, fovet, alit, devorat.
Homo, qværis, qvid?
Dicam:
Pulvis glebaqve terræ,
è qva nascitur,
à qva alitur,
in qva vivit,
per qvam reficitur,
in qvam tandem revocatur.
In *Lilio* mirus naturæ occurrit lusus:
dum plurimum florescit,
subito tabescit.
dum virescit,
subito marcescit.
Homo eheu!
ipsa Fragilitatis imago,
majoribus longè expositus fatorum lusibus.
Oritur, ut occidat,
Nascitur, ut moriatur.
Moritur, ut desinat mori.
Incipit vivere, ut vivat in æternum.
Talem marcescentis igitur Lilii referre idæam,
Florentissimum Juvenem
ADAMUM PHILIPPUM BURSCHIUM, Friedlandensem,
Musarum Thoruniensium Cultorem Ornatissimum,
Crede Viator.
Erat Lilium,
si floridam ejus spectes ætatem;
Erat Lilium candidum,
si vitæ tenorem æstimes & candorem;
Erat Lilium fragrantissimum,

si

si pietatem cernas erga DEUM,
qvem coluit,
Amore vero,
More antiqvo,
Ore fideli,
Re omni.
Itaqve
Lilium cum erat,
Lilii qvoqve fata effugere neqviit;
In flore enim ætatis suæ,
Cum fragrantissimum Virtutum de se spargere vellet odorem,
defloruit.
Florem hunc Lilii
Friedlandia, Anno M. DC. LXXXVII. instante, protulit,
Florentem Seminarium Patrium fovit,
Langventem Musæ nostræ lugent,
Cùm Anno Æræ Christianæ M. DCC. VI, die 16. Augusti,
qvo falces messorias
spicis ad messem albescentibus,
immittit messor,
mortis resectus falce
concidit;
attamen redolet,
imò
fragrat svavior, floret felicior,
surgit altior, crescit amœnior.
Nam in veram Pacis Patriam translatus,
in hortum Paradisi cœlestem collocatus,
sub cultura Hortulani Divini
latius sua explicat folia,
crescit sine terra,
succrescit sine radice,
excrescit sine stirpe,
Flacescit nunqvam,
olet sine fine.
Tu autem, Viator,
Lilium hoc cogitans,
annitere,
ut ceu Lilium Florentissimum
Messoris expectes messem.

AUDITORES CLASSIS PRIMÆ.

Viator
siste, si lubet, gradum, & perpende:
Etiam Studiosos mortalitatis habere, qvod deponant:
Qvod vel in nostro Ordine incorrigibili stuppre advertes

re-

repente concidisse
ADAMUM PHILIPPUM BURSCHIUM.
Cujus ex oculis verecundia,
ex vultu modestia,
gratia ex toto pectore eminebat.
Purus fide, purus doctrina, purus moribus,
ideò non mirum, qvòd puro DEO placuerit.
Qvare jam non adversus DEO,
cui nunc propior est.
Non sentit belli pericula, qvi in pace amœnissima floret.
Non à pravorum sodalitio corrumpitur,
qvi societati Sanctorum Angelorum adjunctus.
Non extimescit mortem, qvi cœlesti in æternum fruitur vita.
Sic mortuus vivit,
in memoria Parentis,
in animis amicorum,
in mente Studiosorum,
in venerandis Musis.
Vixit, ut pium & modestum Juvenem, ut humanitatis Studiosum,
ut diligentem & ad altiora nitentem oportet.
Sed, eheu! occidit spes,
qvæ ipsi qvidem uberem in cœlis lætandi,
Matri verò in terris amplam lugendi præbet materiam:
Matri, dico,
imò nobis, qvi eo amisso
non ignobile corporis scholastici membrum,
Alumnum Classium nostrarum amisimus dignissimum.
Videmus, qvod ipsum verus ille Pastor,
ingruentibus malorum tempestatibus,
ex locis luporum excursionibus & latrociniis infestis
pascuis lue venenata infectis & agris sterilibus
ad locum tutiorem, agrum uberiorem,
pastum salubriorem,
ceu oviculam suam dilectissimam transtulerit.
Cur igitur luctu maceramus pectus nostrum?
Ferendum est, qvod mutari neqvit.
Sic visum est ei,
qvi tanqvam peritissimus hortorum Cultor
plantam hanc ex inamœno mundi hujus dumeto evulsam,
in amœnissimum cœli transtulit rosetum.
Tu Viator ad metam properans,
Excipe Epigraphen hujus monumenti,
qvam ob vitam bene gestam ipsæ Musæ viedentur cecinisse,
Vitam brevem præferendam esse longè,
his verbis:
Non qvam diu, sed qvam benè.